DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
HYSTERIASI

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI ET ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS
DOMINI DECANI
NEC NON CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
pro Doctoris Medicinae Laurea
summisque in medicina honoribus, ac privilegiis
rite et legitime consequendis
IN
ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Jacobus Feigl,
Styrus Graecensis.

Theses adnexae defendentur in aedibus Universitatis die 16
mensis Decembris 1837 hora.

VINDOBONAE,
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

Wie es die Schule gelehrt, was mir durchs Leben
soll helfen,
Häng' ich dankbar und fromm, hier im Heiligthum'
auf.

Schiller.

CLARISSIMO AC AESTUMATISSIMO

DOMINO DOMINO

JOANNI SEIBERT,

CHIRURGO PRIMARIO IN NOSOCOMIO CAESAR. REG. UNIVERSALI VIENNENSI

etc. etc.

VIRO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

NEC NON

HUMANITATE ET BENEVOLENTIA

AEQUE INSIGNI

IN

AETERNAE GRATITUDINIS
ET VENERATIONIS

MONUMENTUM

TENUES HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

offert

gratissimus auctor.

IMAGO MORBI.

Hysteriasis, melius passio hysterica seu morbus hystericus (το ὑϛερου, uterus, το παθος ὑϛερικον, malum uterinum), uteri adscensus, hyperkinesia uterina, germanice: Mutterkrankheit Mutterplage, Mutterbeschwerde, Mutterstaupe, morbus est feminarum chronicus, qui adfectionibus spasmodicis stipatur, sine causa evidentiori per vices redeuntibus, cum summo erethismo et pusillanimitate ab omni pathemate facile increscens, cum manifesta simultanea minori majorique laesione functionum genitalium. Definitionem strictam hujus morbi proteiformis vix credo auctorem quemdam nobis dedisse, ego vero talem statuendam peritioribus lubenter relinquo; plurimae solummodo enarrationes sunt symptomatum, quae in hystericis quidem diversissima progerminant, plerumque tamen et alios morbos comitantur.

Proprietates hysteriae praecipuae sunt sequentes:

I. Aberrationes functionum systematis sensiferi.

1. *Laesiones koenaestheseos*: dysphoria ac lassitudo absque causa sufficiente, horripilationes ac

sensatio frigoris diversas partes percurrentis praecipue extremitates, quas dolores lacerantes ac tensivi, myrmekismus saepius feruint, kephalalgia frontalis, hemicrania, dolor vehemens in occipite aut in regione parietali cum sensu frigoris intensi, sic dictus clavus hystericus, dolor demum pulsans.

2. *Laesiones organorum sensus:* photopsia, myiodesopsia, nepheliopia, dittopia, metamorphopsia, amblyopia absque causa materiali, sub majori morbi gradu et spectra ac visiones offendunt, quas excedens nonnisi phantasia offert. — Lenissimus sonus saepe aegre fertur, susurrus et tinnitus aurium consuetim vexant. — Sapor multifarie laeditur, limosus, fatuus, acidus, amarus, dulcis imo metallicus prostat, neque deficiunt malacia et pica. — Odor plerumque acutior est, qui sensus in hystericis idiosyncrasia peculiari consuetim laborat, ob quam gratissimos odores ac suavissime olentia florum effluvia reformidant, a minimis saepe convulsiones contrahunt, quum a fortissimis, foetentibus, aliis vix tolerabilibus e. g. Asa foetida grate adficiantur. — Derma est tenue, sensile, a levissima temperaturae mutatione frigescens, contracta, sic dicta anserina, exhalatio ejus vaporosa suppressa, saepe horripilationes cum calore alternant.

3. *Laesiones sensibilitatis geneticae:* haec aucta est, inde frequens apud hystericas onania ac excessus in venere, sensus plenitudinis in regione pudenda, caloris in vagina, motus convulsivi labiorum uteri sub attactu; huc quoque pertinet peculiaris sensus, ac si uterus ligamentis suis sur-

sum tollatur ac iterum recidat (das sogenannte Aufsteigen und Übersteigen der Gebärmutter).

4. Non minus *psyche* saepe laeditur, intellectus et animus quasi vacillant, maximaque vicissitudo animadvertitur; aegrae avidissime mox adpetentes, modo respuunt, hilaritas, jocus, imo lascivitas sine momento sufficiente alternant cum atra bile, proclivitate ad flendum; sub majori morbi evolutione per momenta delirant, mentis plane incompotes. Praeterea hystericae fixas quasdam praecipue de suo statu ideas libenter fovent, logodiarhoicae sunt de morbo suo, proprium inde sibi efformant systema nosologicum, idque pertinaciter defendunt, contradictiones aegrae percipientes.

II. Aberrationes systematis irritabilis.

1. Has prae aliis testantur spasmorum series a lenissima musculi cujusdam contractione ad tetanum universalem atque epilepsiam usque.

2. Aberrationes systematis arteriosi et respiratorii. Pulsus plerumque normali frequentior, sub paroxysmo parvus contractus, inaequalis, suppressus, saepe vix tangendus — cardiogmus ac congestiones versus diversas partes imprimis superiores, haemorrhagiae aut antagonistica suppressio normalis aut consueti cujusdam profluvii huc numerari debent. — Non raro anxia ac difficilis fit respiratio, et exoritur sub paroxysmo asthma spasmodicum aut omne fere tollitur respirium.

3. Non desunt etiam adfectiones spasticae in tubo alimentari: huc spectant alvus spastice clausa, et si jam aperitur, dura, inflatio ventris praecipue

in regione ventriculi, nausea, vomiturationes, dolores colici et peculiaris spasmus oesophagi, qui aegrum sensatione vexat, acsi globus e ventriculo sursum tendat ac collum constringatur comite summa anxietate, nonnunquam aphonia et leipothymia.

III. Symptomata laesae reproductionis:

1. digestio languet, inde ventriculi oppressio, frequentes vomiturationes, spasmi ventriculi, alvus dura aut proclivitas in diarrhoeam,

2. secretiones omnes, quousque nobis quale laesum patet, alienatae inveniuntur: exhalatio cutis plerumque suppressa, urinae pallidae copiosae, aquosae, tenues observantur, aut illius excretio saepe suppressa; salivae secretio interdum aucta, salivaque, succus gastricus aeque ac pancreaticus, qui sub paroxysmo hysterico frequenter sursum tendunt, acidam recondunt indolem, imo tam acrem, ut partes, quas tangunt, arrodant; bilis minus conspicue laeditur, nonnunquam immodica profluit muci quantitas e partibus verendis.

3. Habitus aegrae est pallidus, gracilis nervosus, raro floridus. Saepe pallorem faciei excipit subintrantibus congestionibus laetus rubor atque aegra frigus causatur, quamquam calor realis sit auctus.

Haecce symptomata generalia medicum ad diagnosin morbi quidem ducere valent, multum vero juvabit adduxisse symptomata, quae solito more sub insultu hujus morbi: paroxysmo hysterico sese excipiunt et simul momentum quoddam sistunt pro statuenda hysteriae divisione ex forma morbi.

A. HYSTERIA UTERINA.

Aegrae dolorem adsignant in regione sacrali ac juxta decursum ligamentorum rotundorum et latorum cum sensatione, veluti uterus cum quadam violentia e profunditate pelvis parvae sursum in cavum majoris trahatur, accedit constrictio gulae cum summa anxietate ac suffocationis metu: globus hystericus. Consuetim simul menstruatio peccat nimia parcitate, aut exsuperat statum normalem, interdum sola ratio, quam naturae lex nondum sat dilucidata sancivit, menstruorum rhythmica turbata invenitur.

B. HYSTERIA VESICALIS.

Hanc designant dolor tensivus, constringens, imo urens, atrox in regione vesicae urinalis cum tenesmo ad mingendum; urinae autem vel retinentur plane, vel guttatim cum immani dolore exstillant, suntque sic dictae spasticae.

C. HYSTERIA INTESTINALIS.

Aegrae conqueruntur de arduo dolore lacerante, scindente abdominis praecipue in regione umbilicali ac si scalpellis dissecentur aut dilacerentur intestina. Abdomen non est inflatum sed molle potius ac collapsum, imo retractum. Sub leni attactu, sub approximatione explorantis manus dolores adeo exasperantur ut aegrae tollant clamorem (videtur nervea quaedam atmosphaera circum persistere, nam aegrae hunc dolorem non tantum accusant, si adproximationem manus vident, sed etiam si clam

id tentatur); si vero tactu intensiori abdomen comprimitur, dolor mitigatur aut ex integro evanescit. Accedunt vomitus ac aberrationes quoad alvi excretionem; vomitu ejecta ac alvo solutae materiae vero non alienatam excretionum conditionem offerunt, qualem sub statu phlogistico horum organorum. Deest omne febris vestigium, pulsusque tangitur inaequalis contractus, spasticus; cutis est anserina, urina spastica.

D. HYSTERIA GASTRICA (hysterisches Wasserspeien).

Hanc constituunt modo urens, modo spastica sensatio, modo constringens in ventriculo, qui eadem offert symptomata ac abdomen sub hysteria intestinali, multum scilicet exasperatur dolor sub miti attactu, sub fortiori compressione silet. Spasmus ventriculi migrat ad oesophagum ac finitur cum vomitu materiae limpidae salivalis, quae modo insipida, modo amara aut acida invenitur, quae differentia eo prodire videtur, an simul plexus hepaticus patiatur nec ne. Haec forma hysteriaseos maxime offendit feminas aetatis provectioris fitque apud easdem plerumque habitualis.

E. HYSTERIA PULMONALIS.

Maxima urget respirii difficultas cum metu suffocationis, dolorem aegrae in pectore pungentem dirum percipiunt, aërem inspirio profundo vero rite attrahunt, tussis magis imaginatione quam aëre attracto excitatur, estque latrans, sicca, respiratio ad maximam partem musculis abdominalibus pera-

gitur, alias cum anhelitu ac anxietate juncta, solummodo erecto corpore conceditur (orthopnoea); percussio thoracis atque exploratio ope stethoscopii secundum clarissimum Laennec nullam designant labem pulmonum — febris nulla. (Es sind dieses die Formen der Pneumonie, welche die Homöopathen und die Aerzte aus der Schule des Contrastimulus mit Glück mit Scilla und andern Reitzmitteln behandeln).

F. HYSTERIA LARYNGEA.

Respiratio est anxia et anhelans, fauces sunt constrictae, vox conspicue alterata, latrans sub insultu, post illum ex omni parte normalis. — Defectus signorum inflammationis faucium, febris inflammatoriae, nulla exacerbatio doloris sub attactu et reliqua symptomata sat nota illam a laryngitide distinquunt.

G. HYSTERIA CARDIACA.

Aegrae derpente corripiuntur vehementi cordis palpitatione, ictusque cordis non tantum sub exploratione pectoris tactui patent sed audiuntur quoque et visu percipiuntur. His superveniunt oppressio pectoris, anxietas magna, pulsus arteriarum fortes — ecce formam morbi, quam rite distinquas a carditide, ab incipiente degeneratione cordis et a quavis angiopathia indolis phlogisticae.

H. HYSTERIA SPINALIS, TETANUS, TRISMUS HYSTERICUS.

Incipit talis insultus cum dolore tensivo juxta columnae vertebralis decursum, totum corpus est

rectum et ita rigidum uti statua lignea, (ορθωθηροτονος) aut in unum positive curvum tendit (οπισθοτονος). Narrant auctores de tetano tali dorsali hystericarum, ubi incurvatio postrorsum tanta fuerit ut caput fere calcem attigerit. Sub longiori duratione hujus mali subintrant circulationis ac respirationis, symphoreseosque gravis signa inexoptata versus superiora.

I. HYSTERIA KEPHALICA.

Haec duplici modo sese manifestat, aut qua hemicraniam, ubi lacerans, opprimens, terebrans dolor unum latus cranii, lubentissime in anteriori ejus parte occupat, modo remittit, modo cum majori minorive vehementia repullulat; aut sese offert qua clavum hystericum, quem constituit dolor, ac si clavus per caput figatur, aut candescens filum metallicum cranio adigatur; hic plerumque juxta suturam sagittalem decurrit.

K. HYSTERIA VASCULOSA.

Raro haec adfectio per totum systema arteriosum extenditur, frequentius minorem majoremve hujus systematis partem plectit, frequentissime carotides et aortam descendentem. Si totum systema patitur, pulsus sunt frequentes, chordarum instar tensi ac duri ac quales sub febri vehementissima angiosthenica tanguntur. Ubi truncus arteriosus unicus morbo corripitur, memorata peculiaritas pulsuum huic tantummodo convenit, reliquo systemate intacto; si aorta abdominalis sedes est, pulsatio inde orta vehementissima aneurysmatis fallax praebet ikon.

I. HYSTERIA MUSCULARIS.

Hujus diversi animadvertuntur gradus, cujus minimus consistit in nutatione indeterminata musculorum inter expansionem et contractionem, unde tremor ac oscillatio singulorum prodit musculorum; quae oscillatio modo subjectiva est, soli aegro percipienda, modo vero objectiva, etiam alius sensui patens. Aut sponte talis exoritur, aut a definiendis influxibus externis provocatur, raro totum systema musculare, plerumque unum alterumve motus organon pro sede sua agnoscit. Lenissimus hicce gradus transitum facit ad altiorem: convulsiones, quae stipantur motibus a voluntate prorsus indepentibus, automaticis. Convulsiones aeque a minori musculorum parte migrant ad totum systema — partiales, uti medici dicunt, augentur ad universales. Motus inde progredientes sunt diversissimi, cito alternantes, contractionem unius musculi illa alterius sequitur, imo musculi plane sibi oppositi ad unitatem actionis, quae in statu normali locum nunquam habet, automatice coëunt. Hi motus in spectatoribus ob characterem anomaliae dysphoriam quamdam ac horroris fere sensationem, alii autem risum producunt, illi nempe, qui quidem involuntarii sunt, minime vero voluntariis tam stricte oppositi. Rari sunt casus, ubi motus muscularis scopo alicui convenientes videntur, exactior vero exquisitio illos pro automaticis agnoscit, et illi κατ' ἐξοχην sunt casus, qui ob adparentem convenientiam spectatorum diaphragma movent. Nonnulla individua derepente motus exercent, ac si serram

ducant, panis pastam subigant, aut aliquid quaerant, aut plane saltant (Chorea Sti. Viti), aegrae autem ipsae confitentur, sese hosce motus involuntarie exercere.

Memoratu haud indignum phaenomenon quoad psychicam vitam hystericarum credo: characteris individualis mutationem, hystericae nempe magis minusve proclives sunt in mendacium et fraudem dolosam quae dispositio sub diutiori morbi decursu ad morbum verum usque augetur: mendacium non amplius prodit ex interna persuasione (quae falsum in mendacium vertit), sed mens ipsa alienatur, ut aegrae cunctis, quibuscum versantur, hominibus falsos de salute sua conceptus communicare omni conatu studeant. Medicus propterea tractans feminas hystericas sibi magnopere caveat, ne illarum narrationes morbum attinentes omnes pro veris habeat, illasque solummodo dignetur merita attentione, quas objectivae comitantur aberrationes.

Diversae, quas separatas tractavimus, hysteriae formae in eodem individuo frequens ineunt connubium e. g. hysteria uterina cum kephalica, spinalis cum gastrica etc. Combinationum leges vero ad imum haurire nondum concessum nobis erat, sicuti illas successionum; experientia tantum docuit, formas diversas minime esse constantes, unam in alteram saepe transire absque causa data — ortui singularum formarum autem genium epidemicum, annuum ac stationarium multum favere.

Notare nos oportet, duas adhuc distinqui species hysteriae, illam nempe *sine materia* seu mere

dynamicam, quae est frequentior, ac alteram *cum materia*, cui morbosa, constitutio subest organorum abdominalium et genitalium.

AETIOLOGIA.

De *causa proxima* hysteriae multum discrepant medici; quidam spasmodicam contractionem vasorum uteri, alii excedentem irritabilitatem totius organismi comite plethora universali etc. assumserunt, nos, ex aucta sensibilitate ac peculiari alienatione systematis nervei omnia illa symptomata morbosa, quae hic morbus in systemate irritabili et reproductivo praecipue genetico offert, explicanda esse, lubenter defendimus. *Centrum* vero sensibilitatis auctae variat, imprimis si morbus est mere nervosus, ac pro influxuum diversitate ubique provocari potest; maxima potestate plerumque evolvitur in organis abdominalibus, imprimis in ventriculo, qui nervis ditissimus incitamentis diversissimis expositus officinam digestionis sistit, quae arctiori vinculo cum sensibilitate universali nectitur. Per nexum nervi sympathici magni cum gangliis abdominalibus, multa phaenomena, quae offert reliquus organismus, absque difficultate evolvuntur, simulque patescit, cum quaevis insolita ventriculi incitatio aeque ac cerebri hystericos insultus facile progeneret. — Aliud centrum hysteria sibi eligit in systemate uterino, non minori sensibilitatis accumulatione gaudente, cui majorem ansam praebent diversae conditiones, quibus hoc organon subjicitur: menstruatio, graviditas, puerperium etc., quod

abunde evincunt insultus hysterici sub menstruatione, coitu, partu etc. ac solitum morbi decrementum aut desideratus terminus ingruentibus annis climactericis.

Quamvis individua robusta ac sana secus ast raro hocce morbo laborant, tamen peculiaris *dispositio* evolutioni hysteriae germen quasi ponit, diversos agnoscens fontes, inter quos excellunt:

1. compages delicatula, erethistica, inde morbus praediligit subjecta scrofulosa, molliter educata, illaque cum habitu hectico, fibra sicca, irritabili, cum temperamento fervido, magna sensilitate, praematura mentis evolutione;

2. hereditaria transplantatio morbi a matre ad filiam; imo migrat saepe per plures generationes;

3. certae vitae periodus; favet pubertatis exordium, praecipue si menstrua serotina accedunt, individuum chloroticum est; summe opportunum tempus est illud a prima salutatione menstruorum ad illorum exsiccationem usque, a 18^{vo} — 45^{tum} aetatis annum; saepe cum fluxu menstruo etiam cessat hysteriasis. Errant tamen valdopere, qui hysteriam pro morbo feminis solum infenso habent, occurrunt hinc inde sub forma globi hysterici etc. casus hysterici etiam in viris effeminatis, mollibus debilibus, decrepitis, pubertatis tempore, persaepe in sartoribus.

4. Continuus denique influxus momentorum excitantium modo enumerandorum talem sensibilitati metamorphosin inducit, qualis pro sistenda procatarxi sufficiens invenitur.

Proëgumenis causis sequentes accensentur:

1. omne momentum impensis materiae sensibilitati augendae par: magna sanguinis jactura per venaesectiones, menstrua, lochia excedentia, drastica inepte adhibita, morbi praegressi cum humorum nobilium majori profluvio: dysenteria, diarrhoea habitualis, leucorrhoea, ptyalismus, galactorrhoea, nimis longa infantum lactatio, haemorhagiae etc.

2. potentiae cerebro et systemati nervoso prae aliis infensae: minia mentis intentio, gravia animi pathemata uti invidia, ira, amor, moeror, zelotypia etc.

3. momenta sensibilitatem in organis geneticis augentia: excessus in venere, onania, libido insatiata, menstrua uberiora, partus frequentes, vitia genitalium organica, imprimis indurationes dolorificae, scirrhus uteri aut ovariorum,

4. diversa incitamenta in tubu alimentari aliisve organis abdominis sedem figentia: cruditates et vermes, taenia solium prae reliquis, acidum primarum viarum, continua constrictio abdominis per thoracula et nimis arcta vestimenta, infarctus viscerum abdominalium, indurationes hepatis, glandularum meseraicarum, pancreatis etc. haemorrhoides;

5. impetigines retropulsae, prae aliis psora ac arthritis — imo qua metasehematismus exoritur ex aliis morbis nervosis e. g. e typho abdominali, febri intermittente etc.

DECURSUS ET TERMINATIONES.

Malum hoc est diutinum, raro post aliquos insultus terminatur, per annos quam plurimum pertinax omni arti resistit, nil typici prae se ferens; ab initio quidem insultus saepe menstruationis tempore effervescunt, sub longiori mali duratione recrudescunt vero paroxysmi sub minima ansa data.

Terminatur hysteria vero:

1. sanitate perfecta, nonnisi rarissime. Circumstantiis faventibus, sub graviditate prima, puerperio, mutata vivendi ratione, senectute interdum sponte evanescit, quandoque febre intermittente sanatur aut aliis morbis epidemicis.

2. In alios morbos transit sequentibus rationibus a) excitatur nempe systema vasorum adfecti organi et phlogosis acuta aut chronica evolvitur, sic hysteria gastrica in gastritidem — et scirrhosam degenerationem, hysteria intestinalis in enteritidem abit; ex hysteria laryngea haud infrequenter chronica inflammatio laryngis, indeque phthisis laryngea exsurgit; hysteria kephalica meningitide jungitur chronica etc. Non minus periculum minatur transitus hujus neuroseos in morbum psychicum: in nymphomaniam, epilepsiam imo somnambulismum.

3. Mors non adeo frequenter huic malo fines ponit, nam ex ipsa asphyxia facile reviviscunt hystericae; hoc simul hic monendum arbitror, periculum gravitati symptomatum vix unquam respondere. Attamen mors potis est a) immediate, si or-

ganon nobile corripitur paralysi e. g. pulmones in hysteria pulmonali, cor in cardiaca etc. b) frequentius mediate per transitus, nominatim in inflammationes acutas.

PROGNOSIS.

Hysteria quidem raro periculum vitae minatur, ast morbus est aegro non minus, quam medico taediosus. Symptomata sub paroxysmo etiam pessima uti rhonchus, epilepsia, apoplexia, convulsiones, animi deliquia, sopor etc. evanescunt absque reliquiis periculosis soluto paroxysmo.

Prognosis etiam causae amotionem facilem, aut plane impossibilem respiciat et ea sub ratione faustior est, ubi malum mere dynamicum quam ubi materies simul peccat. Pertinacissima, experientia docente, illa invenitur hysteria, quae est hereditaria, per multum tempus jam durans, comitata influxibus nocivis: onania, veneris excessu, salacitate fere inexplebili, animi pathematibus ac phantasia excedente — onania psychica. — Saepe, uti jam supra monuimus, sponte evanescit, ubi aegrae primo salutantur fluxu menstruo, sub prima graviditate, lactatione — ac menstruorum cessatione. Criticum saepe characterem prae se tulerunt haemorrhoidum fluxus, arthritis ac polymorphae impetigines. — Lethalis fit per morbos secundarios: hydrothoracem, hydrocardiam, hydrokephalum, scirrhum et carcinoma uteri aut ovariorum, mammarum — per tabem etc.

THERAPIA.

Therapia *rationalis* eo nititur, ut excedens sensibilitas systematis nervosi, praecipue gangliosi imminuatur, ut per amotionem stimulorum et potentiarum deprimentium aut per immediatam restaurationem ac alterationem systematis nervosi aequilibrium denuo restituatur. Duplex est cura, aut palliativa sive sub paroxysmo, aut radicalis; illius est paroxysmos mitigare aut tollere, qui eo pertinaciores curae radicali resistunt, quo saepius recurrunt.

Cura palliativa: Si sub paroxysmo advocaris, primum interroges de causa, quae illum provocaverit, ac an revera sit hystericus, rigoroso animo pervolvas. Ubi saburra recens ansam praebuit, paroxysmum frequenter tollit emeticum, quod stimulum, qui proxime stomachum offendit ac ex hoc centro cerebrum et reliquam sensibilitatem aegre adficit, brevissima via expellit. Optime hic confert radix Ipecacuanhae in connubio cum Castoreo aut alio sic dicto antispasmodico; si vero emeticum ob majus tempus praeterlapsum non amplius indicatur: mite purgans e. g. cremor tartari, magnesia, rheum parca dosi in copula cum aromaticis et antispasmodicis optime paroxysmum mitigant. Ubi potentia nociva immediate sensibilitatem tetigit, ibi haecce excedens placanda. Valent prae aliis: Infusa Melissae, Chamomillae, Valerianae, Asa foetida, Castoreum, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, Naphta vitrioli, spiritus nitri et salis dulcis, spiritus salis ammoniaci

anisatus, liquor cornu cervi succinatus, oleum animale Dipelii, olea aetherea: Valerianae, Chamomillae, oleum Cajeput, Opium. Cum hisce interne porrectis jungi solent clysmata similia v. c. ex Infuso Chamomillae etc., tunc frictiones et odoramenta, uti accensae pennae, crines, corium, ossa, alcali volatile, acetum concentratum, Allium conquassatum ac aceto immersum. Paroxysmo pertinaciori opponuntur vesicantia, sinapismi, aspersiones, lotiones aromaticae, talesque frictiones. Venaesectione in illis casibus indigemus, ubi individua plethorica juvenilia, retentiones menstruales repentinae periculo plenam congestionem sanguinis ad organa nobilia ponunt — hirudinibus vix carere possumus sub majori cerebri adfectione ac kephalaea dira. Minus urgente indicatione, sanguinem evacuandi, prosunt acida mineralia diluta in aptis vehiculis, elixirium acidum Halleri, acidum salis etc., quibus serius addi solent liquor cornu cervi succinatus, aqua foetida Ph. bor., Castoreum etc. Magnum valorem tribuimus clysteribus cum sapone et sinapismis ad suras et plantas pedum.

Cura radicalis: Ad hunc morbum radicitus tollendum exposcitur prae omnibus, ut aeger omnes evitet influxus, quae functiones irritabilitatis et reproductionis debilitant, ac sensibilitatem multifarie adficiunt v. c. pathemata animi deprimentia, lecturam librorum romanticorum, divinarum tragoediarum frequentationem, excessum quemvis in venere, onaniam, indigestionem, psyxim, nimium somnum, vitam inertem sedentariam, purgantia ac sanguinis missiones etc. — nam haec paroxys-

morum reditui quam maxime favent, qui curae radicali multum obsunt. Suadetur usus remediorum tonicorum fixorum, quae debilitatem plasticam emendant: Herbae Menthae piperitae, Trifolii fibrini, Millefolii, Marrubii albi, Fumariae, Absinthii, folia Aurantiorum, radices Gentianae, Calami aromatici, Caryophyllatae, lignum Quassiae, cortex Cinnamomi, Chinae et ferrum. Ab initio diligimus connubium cum antispasticis. Adnuunt quoque Balnea universalia tepida, prae aliis martialia, sub quorum usu monendum, ne sint nimis calida, neque illorum usus protractior. Specifica autem, ut nonnulli contendunt, virtute martialia non gaudent, quae saepe vehementissima systematis sanguiferi excitatio sequitur — universim conveniunt illis aegris, quae magnam humorum nobilium jacturam expertae sunt per metrorrhagiam, per blennorrhoeam exhaurientem, nimis protractam lactationem etc. Monendum vero, ferri usui quamdam praeparationem ope leniorum tonicorum praemitti debere, cuique medico sat notam.

Hystericis, libidine sexuale excedente aut non satiata tortis, difficillime auxilium ars sola nostra offert — laudantur matrimonium, persuasiones, acidum Halleri, Camphora, imo Opium; transit talis forma plerumque in Nymphomaniam.

Maximam attentionem sub cura hystericarum merentur complicationes, quibus vermes, dyscrasia venerea ac scrofulosa, uberior extricatio acidi in primis viis, accumulatio faecum in tubo intestinali, alvus pigra, vomitus spasticus, cardialgia talis, colica, obstructiones viscerum abdomina-

lium, diversaque horum organorum vitia organica adnumerantur, quorum tractamen singulatim dilucidare conabimur.

Vermes morbum quidem nostrum nonnisi rarissime progenerant, ast saepe cum eo junguntur, paroxysmorum recrudescentiam augent — haec complicatio abigitur sic dictis anthelminthicis quorum nonnulla indole sua medicata simul in morbum nostrum ipsum agere valent e. g. Valeriana, Asa foetida etc.

Syphilis, scrofulae unacum hysteria caput suum extollentes, tractamen notum exposcunt. Non minorem dignationem meretur exhalationis cutaneae conditio, cujus suppressio antagonistica ratione sensibilitatem organorum digestionis intendit, qua de causa necesse est. restituere aequilibrium inter ex- et internum systema cutaneum; cui scopo attingendo paria sunt: balnea tepida universalia, spiritus Mindereri, sulfur antimonii auratum, tartarus emeticus refracta dosi, frictiones corporis, vestimenta ex panno laneo tenuiori.

Acidum primarum viarum quidem causam hysteriae nequaquam sistit, solita autem est sequela alienati systematis nervosi, quare necessitas exsurgit, acorem cito expellendi aut neutralisandi, quum facile ansam paroxysmis praebeat; hoc in casu leniter eccoprotica, sic dicta antacida cum aromaticis locum habent. Non minus saepe urgent faeces in intestinis majori copia collectae ac diutius retentae; evacuatio autem minime indicationem sistit principalem, quum purgantia fortiora plus damni quam emolumenti inducant, exhau-

riendo irritabilitatem tubi alimentaris, eumque debilitando. Commendamus propterea mitia ac blandiora purgantia uti: oleum amygdalarum, ricini, papaveris, pulpam, Tamarindorum et Cassiae, electuarium lenitivum, inter sales: cremorem tartari, salem Seignetti, tartarum tartarisatum, clysmata mucilaginoso-oleosa.

Emesis spastica sedatur Opio et Hyoscyamo et, ubi acidum abundat, pulveribus aërophoris, externe frictionibus aromaticis, cataplasmatibus, scutis stomachicis.

Spasmus ventriculi, globusque hystericus exigunt Valerianam, Castoreum, Asam foetidam, Hyoscyamum, Opium, pulveres Doweri, externe inunctiones aromaticas, emplastra stomachica: emplastrum opiatum, aromaticum, de Theriaca, de Galbano crocatum etc.

Dolores colici utplurimum leniuntur parvis Opii dosibus cum mucilaginosis tepide sorbillandis, ac similibus clysteribus. — Opium nequaquam interdicitur, ubi alvus est obstipata, nam sensibilitas excedens ope Laudani depressa; faecum eliminationem adjuvat.

Obstructiones viscerum abdominalium ac indurationes hysteriam haud infrequenter comitantur aut sequuntur — estque medici opus, illas solvendi, cui fini contribuunt: Solventia leniora, gummiferulacea, gummi ammoniacum, Sagapenum, Asa foetida, herba et extractum Belladonnae, sapones, mel, Rheum parca dosi: ubi pertinaciores sunt: Tartarus emeticus refracta dosi, sulfur auratum antimonii, Gratiola, sal ammo-

niacus cum extractis amaris, felle tauri, acetas lixivae in connubio cum Calamo aromatico, Galanga, Cinamomo, oleis aethereis; nam systema capillare incitando secretionem una cum absorptione promovent, ac resorpta simul per irritabilitatis in his organis oscillationes in auxilium vocatas lubenter expellunt. Illorum vis ad altiorem evehitur gradum, ubi simul frictiones abdominales, illinitiones volatiles, clysmata ex Asa foetida, balnea tepida, motus corporis modicus ac congrua diaeta in auxilium vocantur.

REGIMEN DIAETETICUM.

Medicamenta optima absque effectu exhibentur, si aegrae non congruum regimen diaeteticum servant, quod tanti est emolumenti, ut solum saepe sufficiat pro sanitate restituenda.

Psyche primum respectum exposcit, quia influxus in psychen illico in corpore reflectuntur. Omnis medici labor inanis est, si animi pathemata non arcentur ac dimiduum fere opus finitum, ubi hilaritas ac animi quies vigent, cui fini attingendo sequentia inserviunt:

1. omnem operam medicus navet, ut aegrae fidem ac propensionem nanciscatur, nam haec est conditio, sine qua haud unquam plicas occultas animi evolvet;

2. summa praecautione utatur ac prudentia, ut aegras a fixis ideis ac moerore rationi consentaneis exhortationibus ac admonitionibus ad meliorem cogitandi rationem reducat;

3. commendet medicus habitationem in cubili sereno ac soli accessum largiter concedente, cum libero prospectu, talibusque rebus exornato, quae habitum animi laetiorem efficiunt.

4. Hystericae solitudinem praediligunt, hominumque consortium evitant, imo taediosum illis est omne cum aliis commercium, sedule proinde medicus illis commendet jucundum cum feminis juvenilibus, hilaribus ac jocosis aut cum prudentibus viris conversationem, quam libenter illi cum feminis praeferunt; possunt etiam apud plurimas ideae religionis in usum trahi, ut animus hilaritatem rursus recuperet, — omnia abigantur, quae mentis intentionem expetunt aut animum diversimode turbant.

5. Summe apta momenta pro hilaritate animi revocanda ac oblectatione sistunt: musica (si fertur), dramata comica, lusus sociales etc.

Summi momenti porro est motus corporis ac speciatim ambulatio in aëre libero, puro, divite oxygenio pro illis, quae vitam inertem, sedentariam, solitariam agunt; nam restituit modicus corporis motus circulationis vigorem, irritabilitatem vi nova imbuit ac tali ratione nervos temperat; si rerum domesticarum angustiae non obsunt, aegras jubemus iter facere in regionem vegetam jucundam aut balneorum usum naturalium subire.

Ancora omnium remediorum diaeteticorum primaria est abstinentia ab amore physico ac solertissima onaniae evitatio, etenim bina haec momenta corpus robore necessario spoliant, sensibilitatem exaltando hysteriam exaggerant — notandum tamen,

modicum veneris oblectamentum illis esse concedendum, quas amor inexpletus huic malo adaptavit.

Nutrimenta sint facile digerenda, simpliciter parata; parciori dosi ac saepius repetita adsumantur, ne indigestio, indeque mala multifaria exoriantur. Potus maxime conveniens est aqua bona, pro ratione casus etiam modica sorbillatio cerevisiae amariusculae aut vini vetusti boni aquae admixti potest exhiberi.

Hystericae demum somnum nimium et in lectis nimis mollibus fugiant, aeque illum post coenam — vesperi parum comedant, jusculum carnium aut ovum sorbile optimum credimus. Vestitus talis sit, qui corpus a psyxi tueatur, nullam partem vero arctius stringat, abdomen vero et pedes sufficienter foveat.

Literatura.

Hoffmann, de morbo hysterico, ejus vera indole, sede, origine et cura. Halae 1733.

Beaumes, dissertatio de mali hysterici vera indole et curatione. Erford 1762.

de Büchner, dissert. III. de malo hysterico. Erford 1721. 1739 et Hal. 1769.

Richter, de malo hysterico. Göttingae 1741.

K. Bankhead et W. Robertson diss. II. de hysteria. Edinb. 1791. 4.

Manning, über die Mutterbeschwerung. A. d. Engl. Wien 1790. 8.

A. H. Meinike, D. de hysteria. Helmst. 1792. 4.

J. F. C. Sievers, D. de hypochondr. et hysteric. dispositionis causis nonnullis. Helmst. 1793.

Heilmann, momenta quaedam circa adfectum hystericum. Würceb. 1800.

Tacker, D. de hysteria. Edinb. 1801 8.

I. W. de Luce, Versuch über Hypochondrie u. Hysterie. Gotha u. Petersburg 1797. 8.

Louis Villermais, traité des maladies nerveuses ou vapeurs et particulièrement de l'hysterie et de l'hypochondrie. à Paris 1816. 8. I. T.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sanitas perfecta est dispositio ad omnes morbos.

II.

Chirurgiam inter et Medicinam stricti limites duci nequeunt, hinc minime quadrat, illas in praxi separare.

III.

Co-indicatio terminus pleonasticus, contra-indicatio proprie non-ens.

IV.

Syndrome symptomatum non est morbus (ὁ νοσος).

V.

Non datur remedium specificum, hinc syphilis universalis non semper mercurio extinqui potest.

VI.

Non omnis salutis fons e lagenis fluit.

VII.

Non morbi, sed diatheses in morbos hereditarios acquiruntur.

VIII.

Ubi vires deprimendae, ibi medicus, ubi augendae, ibi natura plus valet.

IX.

Connubium nonnullorum medicamentorum per Chemiam saepe rejectum, per Therapiam approbatur.

X.

Scirrhus nunquam morbus localis.

XI.

Morbus est tractandus, non symptomata.

XII.

Mercurii dulcis agendi ratio nequaquam ex stimulante ejus vi explicari potest.

XIII.

Cancro laborantes nunquam sanantur.